

- 35 etiam de sorte nunc venio in dubium miser ?
 pudet nil ? omnis dentis labefecit mihi,
 praeterea colaphis tuber est totum caput : 245
 etiam insuper defraudet ? nusquam abeo. *SY.* ut lubet.
 numquid vis quin abeam ? *SA.* immo hercle hoc quaeso,
 Syre :
- 40 utut haec sunt acta, potiu' quam litis sequar,
 meum mihi reddatur saltem quanti emptast, Syre.
 sciō te non usum ante(h)ac amicitia mea : 250
 memorem me dices esse et gratum. *SY.* sedulo
 faciam. sed Ctesiphonem video : laetus est .
 45 dē amica. *SA.* quid quod te oro ? *SY.* paullisper mane.

iii C T E S I P H O S A N N I O S Y R V S

- CT.* Abs quivis homine, quom est opus, beneficium accipere
 gaudeas ;
 verum enīmvero id demum iuvat si quem aequomst facere 255
 is bene facit.
 o frater, frater, quid ego nunc te laudem ? sati' certo scio,
 numquam ita magnifice quicquam dicam id virtus quin
 superet tua.
- 5 itaque unam hanc rem mē habere praeter alios praecipuam
 arbitror,
 fratrem, hominem neminem esse primarum artium mage
 principem.
SY. o Ctesipho. *CT.* o Syre, Aeschinūs ubīst ? *SY.* 260
 ellum, te exspectat domi. *CT.* hem.
SY. quid ęst ? *CT.* quid sit ? illi(u)s opera, Syre, nunc
 vivo. festivom caput ;